



## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de  
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,  
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Disp. XVIII. De scientia Christi acquisita,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

gentia, seu habitus primorum principiorum, qui solum veritates indemonstrabiles & medio carentes attingit.

139. Colligitur quintò, Christum per scientiam infusam potuisse intelligere sine conversione ad phantasmata, vel cum conversione ad illa, pro voluntatis arbitrio.

Probat: Christus habebat duplicem modum intelligendi, alterum communem Angelis & beatis, ut comprehensor; alterum communem hominibus, ut viator: Atqui per primum erat omnino independens à phantasmatibus; tum quia habebat species infusas à Deo, sicut Angeli; tum etiam quia habebat dominium supra suum corpus, ut beati: Ergo ex eo capite non debebat necessariò uti phantasmatibus. Similiter ut viator habebat communem modum intelligendi cum aliis hominibus, utendo sensibus & phantasmatibus: Ergo ex eo capite poterat se convertere ad phantasmata, ut in ipsis rebus, velut in speculis & exemplis, videret quæ per scientiam infusam cognoscebat.

140. Confirmatur: Quia scientia per se infusa, etsi supernaturalis sit, fuit tamen in modo operandi proportionata naturæ humanæ, & modo naturali cognoscendi intellectus humani, qui est per discursum intelligere, potuit Christus illà uti discurrendo, ut præcedenti corollario ostensum est: Atqui etiam modus connaturalis intelligendi animæ corpori unitæ, est intelligere speculando phantasmata, & convertendo se ad illa: Ergo eadem ratione Christus potuit uti scientiâ infusâ, convertendo se ad phantasmata. Quod ut magis percipiat, & argumento quod in contrarium fieri posset occurratur.

141. Notandum est cum D. Thoma in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 3. quod intellectus habet se ad phantasmata dupliciter: Vno modo sicut accipiens à phantasmatibus scientiam quod est in illis qui nondum scientiam habent secundum motum qui est à rebus ad animam. Alio modo secundum motum, qui est ab anima ad res, in quantum phantasmatibus utitur quasi exemplis, in quibus inspicit quod considerat, cuius tamen scientiam prius habebat in anima. Quamvis ergo scientia infusa animæ Christi non posset primo modo à phantasmatibus dependere, cum ab illis non posset species accipere, eò quod species tali scientiæ deservientes habitæ sint per infusionem; bene tamen secundo modo, potuit enim Christus uti tali scientiâ, ponendo species super phantasmata, & in ipsis phantasmatibus objectum sensibile inspicendo, quod aliàs in seipso poterat per tales species cognoscere. Sicut ille qui potens aliquid objectum videre in seipso, voluntariè visum ad speculum applicat, illudque in speculo intuetur.

242. Colligitur sextò, scientiam infusam animæ Christi, non fuisse semper in actuali consideratione omnium objectorum ad quæ poterat se extendere, imò nec fuisse necessariò cum cognitione actuali alicujus objecti conjunctam; quia licet talis habitus esset supernaturalis & infusus, fuit tamen voluntati humanæ Christi, quantum ad usum subiectus; eo modo quo habitus charitatis, licet sit supernaturalis, subditur tamen nostræ voluntati quantum ad applicationem & usum; unde sicut habitu charitatis utimur quando volumus, & quantum volumus; ita & anima Christi utebatur scientiâ infusâ quando volebat, & per ipsam ea solum objecta considerabat, ad quorum considerationem illam applicabat.

A Colliges septimò, scientiam infusam Christi, esse quidem superiorem scientiâ Angelorum, non solum quantum ad claritatem & certitudinem, sed etiam quantum ad numerum scitorum, cum per eam Christus cognoscat plura mysteria gratiæ, & futura contingentia, nec non occultas cordium cogitationes, quæ Angelis non revelantur, ut constat ex dictis art. 4. Esse tamè scientiâ angelicæ inferiorem, quantum ad modum cognoscendi qui est naturalis animæ humanæ, nempe modum cognoscendi per discursum, & per conversionem ad phantasmata, ut ait S. Thomas art. 4. & quantum ad species quibus utitur; quia, ut idem S. Doctor art. 6. docet, species animæ Christi infusæ, sunt minds universales, quam species Angelis inditæ; quia sunt commensurate intellectui humano Christi, qui non est ita perfectus sicut intellectus angelicus.

## DISPUTATIO XVIII.

### De scientia Christi acquisita.

Ad quæst. 12. D. Thomæ.

P Ostquam S. Doctor de scientia beata & infusa animæ Christi disseruit, ut totum de scientia Christi Tractatum persolvat, agit de scientiâ à Christo acquisita, circa quam pauca occurrunt, articulis sequentibus discutienda.

#### ARTICVLVS PRIMVS.

Verum præter scientiam beatam, & infusam, constituenda sit in anima Christi Domini scientia per se acquisibilis?

§. I.

Quibusdam præmissis conclusio affirmativa statuitur.

N Otandum primò: quod scientia per se acquisibilis illa dicitur, quæ tamen de facto à Deo aliquando infundatur (qualiter omnes scientias naturales fuisse Adamo in primo conditionis instanti infusas, docet D. Thomas 1. p. quæst. 94. art. 3.) per se tamen & connaturaliter petit nostris actibus acquiri; ad differentiam scientiæ infusæ per se, cui vel repugnat essentialiter nostris actibus acquiri, vel licet possit de potentia absoluta illis effici, per se tamen & connaturaliter petit per infusionem haberi.

E Notandum secundo: hic solum nos inquirere, an in Christo fuerit scientia quæ per se & ex natura sua ab homine acquisibilis est. Utrum verò Christus eam per accidens habuerit per infusionem, sicut Adamus, vel illam de facto propriis actibus sibi comparaverit, sicut nos eam acquirimus, dicemus articulo sequenti. His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ,

Dico breviter: constituenda est in anima Christi Domini scientia ex genere suo acquisita. Ita communiter docent Theologi cum S. Thoma supra quæst. 9. art. 4. excepto Richardo; licet enim pro opposita sententia referantur D. Bonaventura, Scotus, Gabriel, & Durandus; illi tamen

non negant dari in anima Christi Domini scientiam per se & ex genere suo acquisibilem, sed tantum volunt eam de facto non fuisse ab illo propriis actibus acquisitam, sed per accidens ipsi infusam. Quidquid tamen sit de hoc.

4. Probatur primò conclusio hac ratione. Oportuit ut omnis potentialitas naturalis animæ Christi conveniens, ad actum reduceretur, ut ex supra dictis patet: Sed anima Christi Domini est in potentia naturali ad scientiam per se acquisibilem, cum sit ejusdem speciei cum cæteris animabus, in quibus hujusmodi potentia invenitur: Ergo fuit ad actum reducta, & consequenter habuit scientiam istam ex genere suo acquisibilem.

5. Confirmatur: Quia anima Christi est in potentia ad scientiam beatam, quæ intelligit modo divino, & ad scientiam per se infusam, quæ intelligit modo angelico, fuerunt in ipsa scientia infusa per se naturalis, & supernaturalis, ut supra ostensum est: Sed anima Christi est etiam in potentia ut intelligat modo humano: Ergo in ipsa constituenda est scientia ex genere suo acquisibilis, per quam modo humano intelligat.

6. Confirmatur ampliùs: Anima Christi est in potentia ad intelligendum per conversionem ad superiora, recipiendo perfectionem ab illis, scilicet species impressas, infusas à Deo; est etiam in potentia ad intelligendum per conversionem ad inferiora, nimirum per species ab illis acceptas: Sed ut prima potentia compleatur, & ad actum reducat, ponitur in anima Christi scientia per se infusa naturalis & supernaturalis: Ergo ut secunda compleatur, & ad actum reducat, sunt in ipso constituendæ species per se acquisibiles ab objectis materialibus, & consequenter scientia ex genere suo acquisibilis, quæ vel in his speciebus consistit, vel illas supponit.

7. Probatur secundò conclusio: Potentia intellectiva Christi non minùs perfecta fuit, quàm ejus voluntas: Sed voluntas Christi, præter virtutes per se infusas, habuit etiam per se acquisibiles, ut supra ostensum est: Ergo pariter potentia intellectiva Christi, præter scientiam per se infusam, habuit scientiam per se acquisibilem. Hæc conclusio magis patebit ex dicendis articulo sequenti, ubi alias rationes quas tradit S. Thomas art. 4. adducemus, & exponemus.

## §. II.

## Solvuntur objectiones.

8. **O**bjicies primò: Omnia quæ Christus cognoscere potest per scientiam acquisitam, cognoscit per infusam, idque evidentiori & perfectiori modo: Ergo frustra in eo ponitur scientia ex genere suo acquisita.

9. Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam: ad perfectionem enim intellectus Christi spectat non solum omnia objecta cognoscere, sed etiam omni modo quo cognoscibilia sunt: unde sicut in anima Christi, præter scientiam beatam, quæ res in verbo contemplatur, ponitur scientia infusa, per quam illas extra verbum cognoscat, eò quod utroque modo ab ea cognoscibiles sint: ita quia res naturales, non solum per species à Deo infusas, sed etiam per species à phantasmatibus abstractas cognosci possunt, debet in anima Christi, præter scientiam naturalem infusam, poni scientia ex genere suo acquisibilis, quæ per species à phantasmatibus abstractas ob-

**A** jecta naturalia cognoscat; præsertim cum modus ille cognoscendi sit maximè connaturalis animæ Christi, utpote conjunctæ humano corpori: ut enim docet D. Thomas 1. part. quæst. 89. in corp. idcirco anima rationalis unitur humano corpori, ut ex unione ad illud sortiatur modum intelligendi per species acquisitas, & per conversionem ad phantasmata, qui est ipsi connaturalior.

**B** Objicies secundò: Duæ formæ solo numero distinctæ non possunt esse simul in eodem subiecto: Sed scientia infusa naturalis (quam fuisse in Christo disp. præcedenti art. 1. docuimus) solo numero differre potest à scientia naturali acquisita: Ergo primà admittitur in Christo, secunda ab eo excludi debet. Major est certa, nam in sententia Thomistarum, duo accidentia solo numero distincta, nequeunt in eodem subiecto existere. Minor verò, in qua solum est difficultas, sic ostenditur. Differentia sumpta ex diversa causa efficienti, non est differentia specifica, sed tantum numerica; ut constat in homine ab altero homine genito, & Adamo immediatè à Deo producto: Sed scientia Christo infusa à primo conceptionis instanti, & scientia per se acquisita, distinguuntur solum penes causas efficientes, quia nimirum illa immediatè à Deo fuit facta, ista verò acquisita propriis actibus, ut articulo sequenti dicemus: Ergo solo numero distinguuntur.

**C** Respondeo negando Minorem, ad cujus probationem, distinguo Majorem: Differentia sumpta ex diversa causa efficiente, per accidens inspecta ab effectibus, non est specifica, concedo Majorem. Per se inspecta ab illis, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam; quia scientia infusa Christo, per se respicit Deum ut causam efficientem; & scientia per se acquisibilis, per se respicit intellectum agentem, ut causam specierum, & actus intellectus possibilis, ut causam efficientem habitum; & ideò non solo numero, sed specie distinguuntur.

**D** Instabis, Differentia penes causas efficientes non potest esse prima, nisi solum in formis quæ à principio sumunt specificationem: Sed scientia sive sumpta pro habitu, sive pro speciebus, non specificatur à principio: Ergo differentia sumpta ex diversa causa efficiente, nequit prima esse inter scientias, sed ut per se petant causas efficientes diversas, debent supponi distinctæ ex diversitate objectorum: Sed objectum scientiæ infusæ animæ Christi, idem est cum objecto scientiæ acquisitæ, v. g. idem homo quem Christus per scientiam infusam cognovit, & per scientiam acquisitam: Ergo non petunt per se causas efficientes diversas, & consequenter non distinguuntur specificè.

**E** Respondeo ex Capreolo in 3. dist. 14. quæst. unica art. 3. ad 1. contra secundam conclusionem, concessa primà Consequentia, distinguendo Minorem subsumptam: Est idem utriusque objectum, materialiter, concedo Minorem: formaliter, nego Minorem, & Consequentiam. Nam distinctio formalis objectiva, cum coincidentia materiali in objecto, sufficit ad distinctionem specierum, actuum, & habituum: licet autem eadem natura specifica, verbi gratiæ lapidis, per speciem infusam & acquisitam representetur, non tamen sub eadem ratione; nam species abstracta à phantasmatibus, illam representat per ordinem ad phantasmata; species autem infusa, sine tali ordine; & consequenter sub majori immaterialitate representatur per speciem infusam, quàm per speciem acquisitam; ex quo

fit quod species per se infusa, universalior sit in representando, quam species acquisita per se; illa enim nedum representat directè naturam quoad prædicata specifica, sed etiam omnia ejus individua, secus autem species à phantasmate abstracta. Quæ solutio sumitur ex D. Thoma supra quæst. 9. art. 4. ad 3. ubi inter habitum scientiæ infusæ, & habitum scientiæ acquisitæ, hoc statuit discrimen, quòd iste acquiritur per comparationem humane mentis ad phantasmata; ille verò est alterius rationis, in potè à superiori descendens in animam, non secundum proportionem phantasmatum. Quibus verbis distinguit habitum scientiæ per se infusæ, ab habitu scientiæ per se acquisitæ, per hoc quod objectum scientiæ acquisitæ, dicitur ordinem ad phantasmata à quibus fuit abstractum; objectum verò scientiæ infusæ sine dependentia à phantasmate attingitur.

## ARTICVLVS II.

*An Christus scientias per se acquisibiles, propriis actibus sibi comparaverit, vel eas à Deo per infusionem receperit?*

14. **Q**uamvis apud Theologos certum & indubitatum sit, fuisse in Christo, præter scientiam beatam, & infusam, scientiam per se & ex genere suo acquisibilem, dubitatur tamen de modo quo Christus hanc sibi comparaverit: Plures enim existimant, illam per accidens fuisse Christo infusam divinitus, sicut & Adamo, ne aliquando caruerit notitiâ clarâ naturali plurimorum objectorum, quæ per talem scientiam percepit. Ita docent D. Bonaventura, Scotus, Gabriel, & Durandus, articulo præcedenti relati, eamque tenuit D. Thomas in 3. dist. 14. quæst. 3. art. 3. ut ipsemet fatetur hic art. 2. & supra quæst. 9. art. 4. Ex Recentioribus verò hanc sententiam sequitur Suarez hic disp. 30. sect. 2. asserens scientiam per se acquisibilem infusam esse per accidens Christo, quantum ad habitum & species necessarias ad demonstrationem rerum faciendas, licet non quoad experimentalem cognitionem.

Probabilior tamen videtur sententia, quam, retractatâ priori, tradit S. Doctor hic art. 2. & supra quæst. 9. art. 4. ejusque Discipuli communiter amplectuntur, nimirum Christum prædictam scientiam propriis actibus sibi comparasse, ne intellectus in eo maneret otiosus & frustraneus. Idem docent Vazquez, Beccanus, Ragusa, Theophilus Raynaudus, & alij.

## §. I.

*Hæc sententia ut probabilior eligitur.*

**D**ico igitur: Christus scientiam per se acquisibilem, propriis actibus sibi comparavit, non verò eam solum à Deo per infusionem recepit.

15. Probatur conclusio duplici ratione quam insinuat S. Doctor supra quæst. 9. art. 4. Prima sic potest proponi. Si Christus scientiam per se acquisibilem propriis actibus non acquisivit, sed eam solum per infusionem à Deo accepit, sequitur intellectum agentem Christi fuisse omnino otiosum & frustraneum: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud. Sequela probatur: Pro-

**A** prium officium intellectus agentis est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas à phantasmatibus, ut docent Philosophi in libris de anima: Ergo si intellectus agens animæ Christi species aliquas non abstraxit à phantasmatibus, sed omnes Christus à Deo per infusionem accepit, erit omnino otiosus & frustraneus; frustra enim est id quod non habet propriam operationem, ut dicitur 2. de cælo textu 17. cum unumquodque fit propter suam operationem.

Hæc ratio non solum probat fuisse in anima Christi species propriis actibus comparatas, sed etiam ipsum habitum scientiæ; cum quia in probabili sententia, non est quid distinctum ab ipsis speciebus; tum quia licet admittatur illum esse quādam realitatem ab ipsis speciebus distinctam, tamen eadem videtur esse ratio de illa ac de speciebus, eò quòd illa detur ad usum talium specierum; & quia connaturalis modus acquirendi habitum scientiæ, est mediantibus speciebus; eò quòd habitus ille sit lumen quoddam intellectuale acceptum & derivatum ab objectis: objecta autem sensibilia in se actu non habent viam producendi habitum intelligibilem, quousque mediantibus speciebus abstractis fiant actu intelligibilia, & sic ab illis educi possit virtus quæ est lumen intelligibile tenens se ex parte intellectus.

17. Secunda ratio D. Thomæ ad hanc formam reducit. Christo non solum sunt tribuendæ omnes scientiæ, sed etiam quælibet illarum secundum proprium & connaturalem modum habendi illam; sic enim non solum est perfectus per diversas scientias atque perfectiones, verum etiam & diversis modis. Sicut ergo Christus habuit scientiam beatam, secundum proprium modum illius, scilicet permanentem, & non tantum transeuntem, ut aliqui in via habuerunt; & sicut habuit scientiam per se infusam secundum modum proprium illius, scilicet per infusionem: ita scientiam humanam, seu naturā suā acquisibilem, habere debuit modo humano, scilicet per acquisitionem, non verò eam solum per infusionem à Deo recipere.

18. Addo quod, cum Christus ad paupertatem nostram ultro ac volens se demiserit, omnia quoque nobis connaturalia, quæ statum ejus non dedecent, admisit: Sed connaturalis homini acquirendæ scientiæ naturalis modus, est per actus proprios, & per abstractionem specierum à phantasmatibus, eam sibi comparare: Ergo Christus hoc etiam modo scientias per se acquisibiles sibi comparavit, atque ita verè in eis profecit, quod voluisse S. Lucam, cum dixit Christum profecisse sapientiā & ætate, docet S. Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 7. his verbis: *Quomodo proficiebat sapientiā Dei? doceat te ordo verborum. Profectus ætatis, & profectus sapientiā, sed humana est. Ideo ætatem ante præmisit (sic enim ipse legit. Jesus proficiebat ætate & sapientiā; non ut cum Hieronymo Vulgata vertit, sapientiā & ætate) ut secundum hominem crederes dictum; ætas enim non divinitatis, sed corporis est: ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientiā hominis. Idem sentit S. Thomas hic art. 2. ad 1. ubi sic habet: Tam scientia infusa animæ Christi, quàm scientia beata fuit effectus agentis infinite virtutis, qui potest simultotum operari, & ita in neutra scientia Christus profecit, sed à principio eam perfectam habuit. Sed scientia acquisita causatur ab intellectu agente, qui non simul totum operatur, sed successive. Et ideo*

*secundum*

secundum hanc scientiam Christus non à principio scivit omnia, sed paulatim, & post aliquod tempus, scilicet in perfecta etate. Quod patet ex hoc quod Evangelista simul dicit eum profecisse scientiâ & etate.

Eandem explicationem innuit Augustinus lib. 3. contra Maximin. cap. 22. his verbis: Legimus quidem quod Iesus proficiebat etate & sapientiâ, & gratia Dei erat in illo: Secundum formam hominis, quam pro nobis accepit ex nobis, non secundum formam Dei, in qua non alienum arbitratus est, esse aequalem Deo. Verumtamen etiam in ipsa forma hominis legimus eum etate & sapientiâ profecisse, non tamen, ut ex non bono bonus fieret credendo meruisse. Beda etiam, citatus à Glossa in eundem Lucæ 2. locum, sic ait: Si- cut est carnis etate proficere, sic est animæ rationalis sapientiâ & gratiâ proficere. Non quod hoc egerit susceptor Deus, præsertim cum suprâ plenus fuisse sapientiâ describitur; sed quia hoc pro remedio nostræ salutis suscipere elegit, ut cum caro & anima rationalis à Deo suscipitur, utraque pariter salvetur.

## §. II.

## Solvuntur objectiones.

19. **C**ONTRA præcedentem conclusionem plures solent fieri instantiæ, quas breviter hic proponemus ac diluimus. In primis obijciunt: Primo parenti à principio infusæ fuerunt per accidens scientiæ omnes naturales, quia fuit doctor humani generis, ut docet S. Thomas 1. part. quæst. 94. art. 3. & probat duplici ratione, quam in Tractatu de homine & variis statibus naturæ humanæ, exposuimus: Sed etiam Christus Dominus fuit doctor & præceptor totius generis humani, dicitur enim Isaia 30. Et non faciet avolare à te doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et cap. 55. Ecce testem populus dedi eum, ac præceptorem Gentibus: Ergo etiam Christo fuerunt infusæ per accidens omnes scientiæ naturales.

20. **S**ecundò, Christum nulla decuit ignorantia, aut privatio scientiæ naturaliter debita, etiam pro brevissimo tempore: At si ab initio conceptionis, non habuisset scientias omnes naturales per infusionem à Deo, sed eas paulatim propriis actibus sibi comparasset, habuisset per aliquod tempus imperfectionem ignorantie in ipsa naturali scientiâ, & privationem illius: Ergo idem quod prius.

21. **T**ertiò, Decebat Christum semper fuisse plenum scientiâ, juxta illud Joan. 1. Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti à Patre, plenum gratiâ & veritatibus: At si non habuisset per infusionem in primo instanti suæ conceptionis, scientias omnes naturales per accidens infusas, non semper fuisset plenus scientiâ & veritate: Ergo illas hoc modo recepit à Deo, non verò propriis actibus acquisivit.

22. **Q**uartò, Christus Dominus per scientiam naturalem cognoscebat substantias separatas, & substantiam animæ suæ, eo modo quo anima separata seipsam cognoscit: At hæc non potuit cognoscere per species à phantasmatibus abstractas, cum species illæ, utpote per sensus acceptæ, non habeant vim representandi perfectè substantiam ultimam spiritualem, & incorpoream: Ergo illa cognovit per species infusas à Deo. Quod si habuit species infusas respectu substantiarum immaterialium, cur non etiam respectu rerum materialium? De utriusque enim videtur esse eadem ratio.

Tom. IV.

A **Q**uintò, Si scientia naturalis Christi, non fuit ei per accidens infusa, sed propriis actibus, seu ministerio sensuum, & per abstractionem intellectus agentis à phantasmatibus acquisita, fuit valde diminuta & imperfecta, & inferior ad scientiam Adami: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela probatur: Plura sunt objecta naturalia quæ à sensibus hominum sunt remotissima, ut omnes species piscium qui sunt in profundo maris, omnia quæ generantur intra viscera terræ, vel quæ in aëre fiunt intra vel extra nubes, omnes stellæ cæli, & similia: quomodo ergo illa fuerunt sensibus Christi objecta, ut proprias eorum species & cognitionem hauriret? Nam quod ministerio Angelorum non fuerint adducta sensibilibiter ad Christum, vel Christus ad illa, manifestum videtur; quomodo enim omnes stellæ cæli, omnes pisces maris, omnia terræ metalla, ad Christum potuerunt adduci, & ei representari? Vel quomodo ipse Christus ad omnia profunda maris & terræ, & ad cæli immensitatem, ministerio Angelorum adduci potuit, ut illa omnia objecta perlustraret, & illorum species per sensus hauriret? Hæc sanè videntur fictitia, & miraculis superfluis plena. Ergo si scientia naturalis Christi non fuit ei per accidens infusa, sed per species ministerio sensuum acceptas comparata, fuit valde imperfecta & limitata, nec se extendit ad omnia individua & objecta naturalia quæ in rerum natura existunt.

C **S**extò, Non decuit Christum acquirere scientiam per disciplinam ab alio homine, sive Angelo docente: Ergo neque ab ipsis rebus species abstractendo, quia sic addisceret à rebus, & penderet ab illis, ut discipulus à magistro.

**S**eptimò, Christus habuit virtutes morales per accidens infusas à Deo in primo instanti conceptionis, ut suprâ docuimus: Ergo idem dicendum est de virtutibus intellectualibus, præsertim de ipso habitu scientiæ naturalis. Consequentia videtur legitima, tum ex paritate rationis, tum etiam quia carentia scientiarum naturalium ad tempus, non minus videtur derogare perfectioni animæ Christi, quàm carentia virtutum moralium.

D **D**eniq; Si Christus propriis actibus sibi debuerit comparare scientiam per se acquisibilem, maxime quia aliàs inde sequeretur quod intellectus agens esset frustra in ejus anima, eo quod careret propria operatione, quæ est abstrahere species intelligibiles à phantasmatibus, ut discunt Divus Thomas hic art. 1. & suprâ quæst. 9. art. 4. Sed hæc ratio non videtur efficax: Ergo ruit præcipuum fundamentum nostræ sententiæ. Minor probatur: Tum quia intellectus agens fuit in Adamo, & in Beatis remanet, & tamen non frustra, licet non abstrahat species à phantasmatibus; sicut etiam nutritiva non est frustra in Beatis, licet non reducat in actum. Tum etiam, quia officium intellectus agentis non est solum abstrahere species à phantasmatibus, sed etiam illustrare principia, ut illis utatur intellectus; & ita licet non servierit in Christo pro primo officio abstrahendi species à phantasmatibus, potuit servire pro secundo, nimirum pro illustratione principiorum.

**H**æc sunt præcipua adversæ sententiæ fundamenta, quæ (ut consideranti patebit) solum probant Christum per scientiam aliquam infusam, res omnes naturales à principio conceptionis cognovisse; unde non militant contra nostram sententiam, quæ id non negat, sed duplicem in Christo scientiam infusam admittit; unam naturalem, per quam objecta naturalia per species à Deo

infusas, modo angelico cognoscit; aliam supernaturalem, quā non solum res naturales, sed etiam entia supernaturalia, cogitationes cordium, futura contingentia, & mysteria gratiae, ipsūque ineffabile Trinitatis mysterium, extra verbum contemplatur, ut disputatione praecedenti fuisse declaravimus. Addimus tamen, praeter duplicem illam scientiam infusam, admittendam esse in Christo aliam scientiam naturalem, quam per actus proprios, seu per abstractionem specierum a phantasmatibus acquisivit; tum ne intellectus agens frustra in eo ponatur, tum etiam ut objecta naturalia cognoscat omnibus modis quibus cognoscibilia sunt, omnisque potentialitas tum naturalis tum obedientialis animae ejus expleatur, ut supra ostensum est. Unde

28. Ad primum dicendum primò, Christum non minus quàm Adamum à primo conceptionis momento res omnes naturales per scientiam infusam cognovisse, subindeque illi non fuisse in scientia vel modo cognoscendi objecta naturalia inferiora; sed praeter infusam rerum omnium naturalium notitiam, quā à principio conceptionis habuit, aliam successu temporis per experientiam, & abstractionem specierum à phantasmatibus sibi comparasse. Sed abstrahendo à tali sententia.

29. Secundò respondeo, conveniens fuisse quod scientiae omnes per se acquisibiles infunderentur Adamo, non verò Christo, ob triplicem rationem. In primis enim, cum Adam fuerit conditus à Deo in aetate perfecta, ut caput & doctor generis humani, atque omnium rerum dominus, conveniens fuit ut statim haberet illas scientias, quae in homine illius aetatis essent necessariae ad illa munia exercenda; Christus autem, licet sit caput & doctor totius Ecclesiae, atque omnium dominus, quia tamen genitus fuit in aetate infantili, ita ut non statim ut vir perfectus in hoc mundo conversaretur, non opus fuit ut scientiam suapte naturā acquisibilem, per infusionem ab initio reciperet, sed paulatim ut ceteri homines per sensum eam sibi comparare debuit.

30. Secundò, Adam datus est doctor toti generi humano in naturalibus, & ideo oportuit quod à principio suae productionis haberet omnes scientias naturales, sicut & quod statim esset perfectus homo, quantum ad corporis quantitatem & dispositionem: At Christus datus fuit doctor mysteriorum gratiae, non rerum naturalium; dicit enim Apostolus 1. Corinth. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis.* & ipsa veritas ait Joan. 3. *Qui de terra est, de terra loquitur; qui de caelo venit, super omnes est, & quod vidit, & audivit, hoc testatur:* & ideo oportuit ut Christus statim haberet scientiam infusam mysteriorum gratiae, non verò scientiam per se acquisibilem rerum naturalium, sicut neque perfectam corporis quantitatem.

31. Tertiò, Adamus visione beatificā carebat, & mox à creatione privandus erat scientiā per se infusā; unde conveniens fuit, ut statim ab initio naturalem scientiam infusam per accidens reciperet, non modò juxta mensuram proportionatam aetati in qua à Deo conditus est, sed etiam quantum ferebat necessitas, quā & ipse & omnes ejus posterii laborassent, nisi eo Dei beneficio liberaliter fuisset praeventus. At in Christo nulla talis viguit necessitas, & affulgens ei scientia infusa atque beata, abundè supplere potuit omnem usum scientiae naturalis infusae per accidens.

32. Ad secundum, concessa Majori, nego Minorem, Tum quia Christus ab initio conceptionis

A per scientiam per se infusam omnia objecta naturalia cognovit, ut disp. praecedenti art. 2. ostensum est. Tum etiam, quia carentia scientiae per se acquisibilis pro aliquo tempore, in Christo non erat ignorantia privativa, sed negativa; quia pro eo tempore non erat ei debita illa scientia, supposita assumptione naturae in statu infantili; sicut nec erat imperfectio quod in aetate infantili caret loquelā, quia permittebat agere naturā quod cujusque status proprium est; & sicut, in sententia Suaris, caruit ab initio experimentalis cognitione, & tamen talis carentia non erat ignorantia privativa, sed negativa tantum.

B Ad tertium dicendum, Christum semper fuisse plenam scientiā beatā, & infusā, at non scientiā acquisitā, ob rationes probando conclusionem adductas; unde D. Thomas hic art. 2. ad 3. ait quod secundum hanc scientiam Christus à principio non scivit omnia, sed paulatim & post aliquod tempus, scilicet in perfecta aetate: quod patet ex hoc quod Evangelista simul dicit eum profecisse scientiā & aetate.

Ad quartum, nego Majorem, licet enim Christus per scientiam per se infusam substantias separatas, & substantiam animae suae cognosceret, non tamen per scientiam per se acquisitam, ut docet S. Thomas hic art. 1. ad 3. his verbis: *Secundum istam scientiam anima Christi non simpliciter cognovit omnia, sed illa omnia quae per lumen intellectus agentis sunt cognoscibilia: unde per hanc scientiam non cognovit essentiam substantiarum separatarum, nec etiam singularia praeterita, praesentia, & futura, quae tamen cognovit per scientiam inditam.*

Ad quintum, nego sequelam Majoris, ad cujus probationem dicendum quod quamvis Christus non haberet species omnium objectorum naturalium, ejus tamen scientia acquisita non fuit imperfecta & diminuta, ac scientia Adami inferior, quia per species acquisitas immediatè ab aliquibus sensibilibus, efficaciter potuit formare, & colligere alias, propter excellentissimam vim ingenij in quo excedit omnes homines, & ipsum etiam Adamum. Unde S. Thomas hic art. 1. ad 2. ait, *Quod licet non fuerint Christi sensibus subiecta omnia sensibilia, fuerunt tamen subiecta sensibus ejus aliqua sensibilia, ex quibus propter excellentissimam vim rationis ejus potuit in aliorum notitiam devenire.*

E Ad quod, ut Christus ab objectis hauriret species quae magis necessariae erant ad formandas scientias, potuit uti ministerio Angelorum, ut sibi adducerent ad sensus illa objecta quae judicabat esse magis convenientia ad accipiendas species pro perfectione scientiarum, ut docet Cajetanus hic articulo primo. Nec est miraculum sine fundamento: nam sicut corpori ministraverunt Angeli, adducendo cibos in deserto; & sicut Angelorum ministerio, primo homini adducta sunt omnia animalia, ut ipsis nomina imponeret: ita animae Christi Angeli ministrare poterunt, non quidem adducendo omnia sensibilia, sed ea quae Christus judicavit expedire, ut haberet scientiam perfectam, & Adami scientiae non inferioriorem.

Ad sextum, concessa Antecedente, nego Consequentiam, nobilius enim est accipere scientiam à sensibilibus, quàm ab homine docente; cujus optimam rationem assignat S. Thomas hic art. 3. ad 2. his verbis: *Ille qui addiscit ab homine, non accipit immediatè scientiam à speciebus intelligibilibus quae sunt in mente ipsius, sed mediantibus*

uocibus sensibilibus tanquam signis, intelligibilium conceptionum: sicut autem voces ab homine formatae, sunt signa intellectualis scientiae ipsius; ita creatura à Deo condita, sunt signa sapientiae ejus. Unde dicitur Eccles. 1. quod Deus effudit sapientiam super omnia opera sua. Sicut igitur dignius est doceri à Deo, quam ab homine, ita dignius est accipere scientiam per sensibiles creaturas, quam per hominis doctrinam. Addo quod, licet Christus hauriret species à rebus, non tamen propriè addiscebatur ab illis, quia acquirendo species à rebus, ipse se dirigebat, & ordinabat species quas accipiebat, ut rectè observat Joannes à S. Thoma hic disp. 11. art. 3. in solutione obceptorum contra secundam difficultatem.

38. Ad septimum, concessa Antecedente, nego consequentiam, & paritatem, ob duplicem rationem discriminis quæ inter scientias & virtutes morales reperitur, ut suprà disp. 12. art. 4. §. 2. declaravimus.

39. Ad ultimum, concessa Majori, nego Minorem, ad cujus primam probationem dicendum quod non semper ex carentia propriæ operationis aliqujus potentiae, rectè deducitur eam esse frustra in suo subiecto, ut patet in instantiis adductis in argumento, sed ex carentia operationis pro statu & tempore quo debetur: in Adamo autem pro statu primæ creationis in quo creatus est perfectus, tam secundum animam, quam secundum corpus, non erat debitum habendi hunc actum intellectus agentis quo crescit & perficitur intellectus in scientia, nimirum abstractionem specierum à phantasmatibus; unde licet tali operatione caruerit, non fuit in eo frustra intellectus agens. Quæ etiam ratione in Beatis, quia non sunt in statu acquirendi scientiam, non est frustra intellectus agens, sicut neque augmentativa & nutritiva facultas, licet careant illis actibus quos hic habuerunt, & in illo statu non debentur.

Ad secundam probationem respondetur quod licet officium intellectus agentis non solum sit abstrahere species, sed illustrare principia; quia tamen abstractio specierum à phantasmatibus est prima & principalior ejus operatio, rectè infert S. Thomas, quod ille esset frustra in Christo, si eam careret, quamvis haberet aliam operationem secundariam: etenim potentia sicut & habitus ponuntur propter primariam & principalem operationem, ad quam per se primò ordinantur, quæ deficiente, ponuntur frustra. Unde idem S. Doctor suprà quæst. 7. art. 4. docet in anima Christi non fuisse virtutem spei, quia non potuit in illo habere actum ad quem per se primò ordinatur: nam à principio habuit beatitudinem animæ, ad quam sperandam ponitur principaliter virtus spei.

## §. III.

## Corollarium notatu dignum.

40. EX dictis colligitur, triplicem esse modum intelligendi in anima Christi, omnino diversum, triplici ejus scientiæ correspondentem: nempe modum intelligendi per essentiam divinam gerentem vices speciei intelligibilis, qui competit scientiæ beatæ: modum cognoscendi per species à Deo inditas, qui convenit scientiæ infusæ; & denique modum intelligendi per species à phantasmatibus abstractas, qui proprius est scientiæ acquisitæ. Primus intelligendi modus est divinus, cum Deo proprium sit, omnia

Tom. IV.

A per suam essentiam ut speciem intelligibilem cognoscere. Secundus, angelicus; cum Angeli non intelligant per species à rebus acceptas, sed immediate à Deo inditas. Tertius est humanus, idcirco enim anima rationalis unitur humano corpori, ut ex unione ad illud fortiaur modum intelligendi per species acquisitas, & per conversionem ad phantasmata, ut docet S. Doctor 1. parte quæst. 89. art. 1.

Querit D. Thomas hic art. 4. utrum Christus aliquid acceperit seu didicerit ab Angelis? Et respondet negativè: quia (inquit) anima humana, utpote media inter substantias spirituales & res corporeas, duobus modis nata est perfici, scilicet vel per scientiam acquisitam acceptam ex rebus sensibilibus, vel per scientiam inditam seu impressam ab agente superiori: At Christi anima neutram scientiam habuit dependenter ab Angelis; non quidem acquisitam, quia illam habuit per solum lumen intellectus agentis; neque inditam, quia hanc immediate accepit à Deo, sicut enim suprà communem modum creaturæ, anima illa unita est Verbo in unitate personæ, ita suprà communem modum hominum, immediate ab ipso Verbo repleta est scientiâ & gratiâ: Ergo &c.

Dices, Si Christus nihil didicit ab Angelis, quomodo intelligi & explicari debet id quod dicitur Lucæ 21. ipsum confortatum fuisse ab Angelo, instante passione sua? Talis enim confortatio non videtur aliter fieri potuisse, quam proponendo ipsi rationes quæ dolorem ejus lenire possent, quod est Christum fuisse edoctum & illuminatum ab Angelo.

Respondeo ex D. Thoma 3. dist. 14. quæst. 7. art. 3. quæst. 6. ad 2. quod Christus non fuit confortatus ab Angelo, per instructionem, vel illuminationem, sed quasi per societatem & compassionem, eoque modo quo ex præsentia & colloquio amicorum & familiarium homo naturaliter confortatur in tristitia & afflictionibus: unde Psalmo 68. Propheeta in persona Christi conqueritur, quod nullum inveniat amicum qui sibi condeat & compatiatur: *Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; consolantem me quasi vi, & non inveni.* Ipsa ergo similitas & societas Angelici compatiens, & eandem tristitiam ostendens, fuit genus quoddam confortationis & solatii.

Deinde, cum revera corpus Christi esset fatigatum & debilitatum, ac sanguine madens, Angelus confortavit ipsum, vel sanguinem ablucendo, vel aliquo sensibili modo fovendo corpus, ut asserit Cajetanus hic in commentario articuli 4. estque valde rationi consonum; nam licet Christus per seipsum hoc facere posset, ad ostendendam tamen veritatem carnis, voluit externo ministerio uti, sicut etiam à Matre nutrirî, gestari, & involvi.

Addunt aliqui, Angelum confortasse Christum, proponendo ei rationes quibus mitigari posset ejus tristitia, cujusmodi sunt illæ quæ habentur Isaïæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur.* &c. Non quod Christus has rationes ignoraret, aut illas per se considerare non posset, aut non consideraret, sed quia ita per rationem superiorem illas considerabat, ut nullum inde solatium, in portionem inferiorem derivari permitteret, ut eleganter declarat D. Bernardus serm. 1. de S. Andrea.

Iiii ij